



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

2. An in Hyberniâ liceat accipere Ordines ab Episcopo non proprio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41565

414 TRACTATUS XII.
ARTICULUS II.

Vtrum in Hyberniâ liceat accipere Ordines Sacros ab Episcopo non proprio?

Hunc casum adducit & resolvit Lessius in opere Posthumo v. *Ordines Sacri*. Casu 5. Supponimus autem Conc. Trid. sess. 6. c. 5. sic decernere de ordinatione: *nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii pretextu, Pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de ordinarii loci expressâ licentiâ, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum, si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi.* Et latius sess. 14. c. 2. ubi agit de Episcopis Ecclesiarum quæ in partibus infidelium consistunt Clero carentes & populo Christiano: Ubi eandem pœnam tam Episcopo Ordinanti sibi non subjectum, quàm sic ordinato infligit. Citat etiam Lessius Bullam Pii II. per quam dicit hanc suspensionem esse introductam, quæ tamen non est sexta ut ipse habet, sed septima, in qua pœnam suspensionis imponit Clericis, qui sine dimissoriis, aut legitimâ licentiâ se faciunt ad Sacros Ordines promoveri. Miror autem quòd Lessius nullam faciat mentionem Conc. Tridentini.

Non obstante igitur dictâ bullâ Pii II. Respondet quæsito affirmativè. Et quòd sic ordinati non sint suspensi, nec contrahant irregularitatem usu Ordinum Sacrorum.

DE SACRAM ORDINIS. 415

Probat 1. Quia usus & consuetudo contra-
ria, sciente & non contradicente Principe,
tollit legem etiam Canonicam, ut passim Do-
ctores: quod etiam dicit se ostendisse lib. 2.
de iustitia cap. 6. dub. 14. nec ad hoc requiri
præscriptionem, ut ibidem ostenderat.

2 Quando perpetuò vacat Sedes, nec est Vi-
cariatus supplens vices Ordinarii, per se cessat
illud jus, quia nullus est à quo licentia peti possit.

3 Dato etiã quòd sit Ordinarius, qui tamen
plerumque later, aut saltem hanc consuetudinẽ
novit & non contradicit, censetur illam appro-
bare, & virtualiter licentiã concedere tam aliis
Episcopis ut sibi subditos ordinent, quã ipsi
ordinandis ut Sacros Ordines à quocumque
alio Episcopo suscipiant. Quod fortius urget,
quia Protector Hybernix, imo ipse Summus
Pontifex optimè nôrunt quid fiat in illo regno
ac proinde hoc ipso quod non contradicunt,
cùm facillè possent, ratum habent & concedunt
ita fieri, hoc enim est rati habitio de præsentibus,
ita fieri, hoc enim est rati habitio de præsentibus,
docent Doctores: nisi enim ratum haberent,
graviter peccarent non monendo, aut impe-
diendo, & curando ut aliter fiat, quia ad hoc
ex officio obligantur.

Quæ resolutio non est improbanda, supposito
quod adhuc illa consuetudo vigeat, nec inter-
rupta sit.

Non potest tamẽ illa cõsuetudo trahi ad alia
loca Missionis, ubi hoc hactenus nõ fuit in usu,
alibi enim nihil convincunt rationes pro casu
proposito adductæ.

S 7 TRAC;